



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXXXVIII. De Suscitatione filiæ Jairi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

& illorum peccata benignè supportari à nobis debeant, & suavi Conversatione emendari.

MEDITATIO CCXXXVIII.

De Suscitatione filia Jairi.

Matth. 9. v. 18. Marc. 5. v. 22. Lucæ. 8. v. 41.

PUNCTUM I. Vix Christus Pharisæis de manducatione cum peccatoribus se purgaverat, & adhuc iisdem ad aliam quæstionem per Discipulos Joannis propositam responderat, teste Matthæo: *Ecce Princeps unus accessit* (Jairus nomine, Princeps Synagogæ Capharnaënsis, sive unus de Archisynagogis, ut inquit Marcus, & Lucas) & adorabat eum dicens: *Domine, filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Marcus c. 5. v. 23. ait, eum dixisse: *Filia mea in extremis est. Veni, impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.* Is itaque suspicans, filiam suam, se iter faciente, probabiliter jam mortuam esse, utrumque dixit: nempe alterutrum sub disjunctione esse verum; & Fide, minùs quidem perfectâ, ac firmâ, credidit, solo attactu vitam vel sanitatem filiaë posse restitui; quamvis cum determinate à servis, revertenti occurrentibus, mortuam esse intellexit, cæperit dubitare. *Et surgens IESVS sequebatur eum, & Discipuli ejus.* Matth. v. 19. Cum autem servi mortuam nunciarent, teste Marco v. 36. ait Archisynagogo: *Noli timere, tantummodo crede.* Considera modum inæqualem agendi, quo Christus apud Joannem c. 4. v. 48. Regulum pro filio suo idem

similiter imperfecta Fide rogantem acriter reprehendit; Archisynagogum verò suaviter solatur, & ad Fidem adhortatur. Cum Regulo non descendit in domum ejus; cum Archisynagogo descendit. Offerdit nimirum sapientissimus Magister, & animorum peritissimus Medicus, non eodem modo cum omnibus esse procedendum, sed cujusque naturam, constitutionem, capacitatem, dispositionem esse attendendam à Superioribus, vel à Curatoribus Animarum. Deinde erga Regulum demonstravit suam Potestatem, quando etiam absens ejus filium sanavit; erga Archisynagogum demonstravit suam Bonitatem, quando & domum ejus accedere, & eo, quo precebat Archisynagogus, modo filiam vitæ ac sanitatis reddere dignatus est. Perpende nunc, quo agere modo DEVS erga te usus sit; nempe quam leniter suavi, & efficaci: quomodo media Salutis desiderium tuo accomodaverit: quoties te accedere sive per internam visitationem, sive per S. Communionem dignatus fuerit: quoties Animam tuam à morte preservârit, vel resuscitârit. Unde ad Confidentialiorem Amorem, Gratitude, & Perseverantiam in curanda Salute Animæ tuæ, & ad Obsequium illius impendenda, te excita. Et majori Fide ac indifferentiâ ad Medicum Animæ tuæ accede, quam didicisti Archisynagogus, qui Christo modum sanandi filiam suam præscribere ausus est, dicendo: *Veni, Impone manum tuam super eam.*

PUNCT. II. *Et veniunt in domum Archisynagogi & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multum. Et ingressus, ait illis: quid turbamini, & ploratis? puella est mortua, sed dormit. Et irridebant eum.* Marc. 5.

38. Ex tumultu, fletu, & ejulatu in morte puellæ, conijce, quid fiat in Anima, quamprimùm per peccatum moritur. Quòd si tamen citò ad Christum per Pænitentiam récurratur, facile est, eam velut à somno suscitare. Cave tibi à tanto tumultu Conscientiæ, & à somno tam fatali: imò si tantùm dormias, & revera mortuus non sis, audi, quid tibi dicatur Proverb. 6. v. 9. *Usque quò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, & paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias: & veniet tibi, quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons, messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Tu etiam, ne Christi monita irridere ausis, sicut illi, qui ex immoderato fletu & ejulatu mox in stultum risum dissoluti sunt; prout communiter ab illis fieri solet, qui suis passionibus fræna laxant, ut nunc immodicè tristentur, nunc immodicè rideant.

PUNCT. III. Considera modum, quo Christus puellam à mortuis resuscitavit: *Ipsè verò ejectis omnibus assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant (scil. quatuor Discipulos, ut à v. 37. dictum) Et ingreditur, ubi puella erat jacens: & tenens manum puellæ, ait illi: puella surge; & confestim surrexit puella, & ambulabat &c.* Sic quando affectus inordinati, qui in Anima tumultum excitant, fuerint ejecti, ut vox Christi, jubentis surgere, audiri possit; & si manus nostra Auxilio Gratiæ fuerit apprehensa, & adiuta ad operationem, quâ se erigat Anima ad surgendum; mox renovabitur in nobis Miraculum puellæ ad vitam reductæ. Omni itaque diligentia in id incumbe, ne (ut hæcenus te fecisse dolebis) DEO ad te veniente, præsertim tempore

Orationis, & Meditationis per distractiones ac turbulentam passionum efferarum turbam Voci interiorius loquentis DEI ullo modo obstrepas; ne auxiliarem manum porrigenti cooperari, & à somno surgere jubenti parere differas; ne etiam in pedes erectus ambulare, ac in Virtute progredi desistas.

MEDITATIO CCXXXIX

De Muliere hamorrhoiſſa ſanata

Marc. 5. v. 25. Luc. 8. v. 43. Matth. 9. v. 20.

PUNCTUM I. Christo ad filiam Jairi reſuscitanda eunte, & plurimâ turbâ de littore maris Galilæi in proximam urbem Capharnaum ipſum comitante, antequam iſtam à ſe dimiſſet: *Mulier, quæ erat in profluſio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multiperpeſſa à compluribus Medicis: & erogaverat omnia ſua nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat; cum auდიſſet de IESU, venit in turba retrò, & tetigit Veſtimentum eius: dicebat enim; quia ſi vel Veſtimentum eius tetigerim ſalva ero.* Marc. 5. à v. 25. S. Lucas c. 8. v. 44. ait: *Accellit retrò, & tetigit ſimbriam Veſtimenti eius.* Conſidera primò, ſi Mulier hæc pro ſanguinis ſui profluſioſiſtendo, conſtanti duodecim annorum cura, patienti plurimorum acerborum remediorum tolerantia omnium bonorum temporalium ſumptu ac impedio, cum incerta, imò irrita ſpe tanta egit, tulitque quantumvis inde deterius haberet: quantâ conſtantia ac longanimitate, quantâ patientiâ ingrata quantumvis media, à Spiritualibus Medicis, & Superioribus